

tra, adulteri, fornicarii, fures, auari, ebrii, maledici, contentiosi, & similes, regnum Dei non possidebunt, quia stipendia peccati mors, gratia autem vita aeterna. Roma. 6. quae quia peccato mortali contrariatur, perdita uero per penitentiam acquiritur, penitentiam agere nemo potest nisi a peccato recedat, desinatque peccare. Hoc ipsum expressius docuit dominus per secundum responsum, quo sollicitantem ad elationem diabolum confutauit. Scriptum est, inquit: Non tentabis dominum Deum tuum. Deum tentat, qui cum habeat, quod secundum humanam profibilitatem faciat, ad aliquem effectum consequendum, id omittit, & solum effectum a solo Deo expectat, quasi experimentum accipiens de Dei uirtute: Sicut qui a solo Deo expectat uina, & blada, non plantans, neque seminans &c.

Verè penitens primum a peccatis cessat.

Cum ergo ad beatitudinis acquisitionem nos sibi dominus collaborare uoluit, nec rationis usum habentibus solum suam gratiam sufficere, sicut apostolus ait: Dei adiutores sumus. 1. Cor. 3. collaborare inquam, per mandatorum obseruantiam, declinare a malo, & facere bonum, sicut ait: Si uis ingredi ad uitam, serua mandata. Matth. 19. Et Augusti. Qui creauit te sine te, non te iustificabit sine te. Ideo culpabiliter Deum tentant, qui aeternam beatitudinem sine suo labore, & cooperatione non declinantes a peccatis, a solo Deo expectant, quae admodum plerique dicentes illud apostoli 2. Timo. 2. Nouit dominus qui sunt eius nec praesentia sua fallitur, ideoque siue sic, siue aliter agam, id consequar, ad quod praedestinatus non ardetes, quod fidem non praedestinatus sine medijs ad finem 1. Timot. 2. Quod ergo dicit: Non tentabis dominum Deum tuum, hoc est dictum non expectabis uanus a solo Deo beatitudinem, sed quod tuum est, facies Nostrum autem est per arbitrii libertatem cessare ab opere peccati, & ita deponere obicem susceptionis gratiae, seu obicem susceptionem gratiae (qua

saluamur) prohibentem, sicut nostrum est deponere obicem fenestram claudentem, ut solis splendore domus illuminetur. Sic per tertiam responsonem, qua aduersarium per auaritiam ad idolatriam prouocantem turpiter confusum repulit, dicens: dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruijes, id ipsum apertissime demonstrauit. Seruit namque, qui domino suo suam uoluntatem subiicit. Haec autem soli Deo subiicienda est simpliciter, & nulli creaturae non habenti uicem Dei. Sed per hanc omnibus actibus nostris dominari debemus ad continuandum, uel cessandum secundum imperium domini. Et quis hoc agit? nisi qui ab omni peccato cessat. Nam qui adhuc peccat, non Deo sed peccato seruit, sicut scriptum est Ioan. octauo. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, qui uero non peccat, uere liber est, nulli, enim seruit nisi ei soli, cuius agi frenis, & obtemperare iustitiae summa libertas est, quia & ei seruire, regnare est. Ecce in eo, quod docuit dominus soli Deo esse feruendum, docuit ab omni peccato fore cessandum. Sic ergo dominus in prima sua congressione, qua aduersus Sathanam triumphauit, quid primò conuerti uolentibus faciendum est, factio, & uerbo ut auditum est, declarauit.

Sed dicis fortè, credo distis, sed quis est, qui dum penitet, peccare non cessat? Non enim potest continuare peccatum dum confitetur. Ad minus enim ipso confessionis actu peccatum intercipitur, etiamsi postea repetatur. Exempli causa: Nemo dum confitetur, inebriatur, fornicatur, periurat &c. nisi fortè consistendo mentiretur. Ad huius replicae solutionem, & ad declarandum quemadmodum a peccatis cessandum est, aduerte expediat, quemadmodum peccatum permanet, siue continuatur. Pro cuius declaratione considerandum est quod secundum Magistrum lib. secundo distinct. 42. de peccato contingit loqui quantum ad maculam reatum, uel offensionem. Alio modo

Quo dicitur alius quis a peccato cessat.